

DISSE^TAT^O ACADEMICA
DE
S Y N C R E T I S M O
PHILOSOPHICO,
QVAM
AVSPICIO COELESTI ET SVPERIORVM
IN
ALMA ACADEMIA LIPSIENS^I
PRAESIDE
M. CHRISTOPH. ALBRECHT
ERCKIO
MEINVNGA - FRANCO
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
A. D. XXX. SEPT. cI^o, I^occ XVII.
IO. ALBERT. IACOBVS GRIMMIVS
KALTENWESTHEMIO-FRANCVS.
—
LIPSIAE
TYPIS IMMANVELIS TITIL.

DISSERTATIO ACADEMICA
S. NICOLETISIMO
PHYSICO-
MATHEMATICI ET SAPIENTIAE
ALMA ACVIA IMPRESA
IN
CHRISTOPHERI BRICHT
OIA A 6731
HICCIDO SPADICORUM TAVINUM
CIVITATIS
AD TERRAM PEGASIAE
IO. ALBERT. JACOB. GRIMMIAE
ETIUSQ. M. C. H. L. B. T. T. T.
T. T. T. T. T. T.





S Y N O Ψ I Σ.

- | | |
|--|---------------------------------------|
| I. De origine philosophicarum
controversiarum. | VI. De Syncretismo Schola-
stico. |
| II. De origine, autoritate &
vsi vocis Syncretismi. | VII. De Syncretismo Ramæo. |
| III. IV. De Syncretismo Plato-
nico & Peripatetico. | VIII. De Syncretismo Carte-
siano. |
| V. De Syncretismo Stoico &
Epicureo. | IX. De Syncretismo du Ha-
melii. |
| | X. Conclusio. |

§.

I.

Admodum diuersa esse, atque prorsus sibi non
nunquam contraria hominum iudicia in una
eademque re, omnes facile concedent, quum
id, quod adfirms alter, alterum sape negare,
& quod ille bonum pronunciat, hunc malum dicere, ipsa

experientia probatum videant. Licet autem in omni scientiarum atque doctrinarum genere, siue theologiae studium, siue medicinae culturam, siue denique iuris peritiam consideres, iudiciorum dissensus atque sententiarum diuertia satis multa, eaque non leuia deprehendere liceat; parum tamen abest, quin credam, in philosophicis disciplinis maximas agi controversias. Namque cum lumen rationis humanæ vnicum sit philosophicæ principium, sunt, quillo non ita, ut decet, vtuntur, quum terminos cogitandi libertatis haud cognitos habent, aut libidinibus suorum affectuum multum concedunt. Alii transgrediuntur carceres rationis, alii istos angustiores, quam illorum fert natura, constituunt, alii veram rationis usuram peruerunt, & modo certitudinem cum probabilitate, probabilitatem cum pura possibiliitate confundunt. Præoccupatae opiniones & studium corruptorum adfectuum conferunt multa ad hanc dissentientium inter se copiam, qua occasione in mente veniunt verba CICERONIS: a) In oratore p. 266. a) *Hinc dissidium illud existit quasi lingue atque cordis,*

cordis, absurdum sane & inutile & reprehendendum, ut alii
nos sapere, alii dicere docerent. Nam cum essent plures orti
fere a Socrate, quod ex illius variis & diuersis & in omnem
partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat, pro-
seminatae sunt quasi familiæ dissentientium inter se & mul-
tum disiunctæ & dispare, cum tamen omnes se philosophi
Socraticos & dici vellent & esse arbitrarentur. Ita est: a
Socrate discessit Plato, a Platone Aristoteles, ab hoc rur-
sus dissentunt, qui Stoicorum, Epicuræorum, Cynicorum
aliorumque sententias amplexi sunt, de quibus in histo-
riarum monimentis veteris philosophiæ fusius agitur.
Ab his si recedimus & proprius ad nostræ ætatis tempora
deuenimus, quantum inter se diffideant philosophi, omnes
agnoscunt, & in exemplorum gratiam ad controuersias
possim prouocare, quae RAMVM inter & GALANDIVM,
PERIONIVM aliasque, inter CARTESIVM & GASSEN-
DVM, inter Peripateticos Scholaisticosque & recentioris
philosophiæ restauratores PVFENDORFIVM, LO-
CKIVM, CLERICVM, CHRIST. THOMASIVM, BVD-

DEVVM motæ sunt & adhuc mouentur. Ex eiusmodi dissen-
si sententiarumque diuersitate quum nonnulli tum inter
veteres, tum recentiores multum exin detrimenti in ipsam
philosophiam eiusque genuinam culturam redundare,
existimarent, dissentientes philosophorum opiniones inter-
se conciliare dederunt operam, ad quod concordia studium
eos existimatio, qua suos philosophos prosequebantur, ad-
duxit, ne dignitas istorum aliorum lumine, qui splendesce-
re incipiebant, redderetur obscura. De qua philosophos
conciliandi ratione, quam SYNCRETISMVM PHILO-
SOPHICVM adpellare placet, nonnulla in medium adfer-
re animum induxi meum, neque philosophicæ historiæ
dedito hanc operam inutilem prorsus fore, neque exerci-
tatione academica indignam, etiam atque etiam spero.

§. II.

Vox autem SYNCRETISMI, si originem eius spe-
ctes, natales suos debet Cretensibus, & ideo descendit
aenò r̄ns Keryn̄s, insula in medio Ponto sita, & centum vr-
bium fama clara, a veteribus inde ἐκατόμηνοις adella-

MVLTI

ta.



ta. b) Ab hac deriuatur *κεντιζεν*, quod *Cretenses imitari*
 significat, cum notissima Græcorum particula σύν, quae in
 compositione societatem notat vel communionem, vt
 adeo syncretismus propria sua significatione nihil aliud
 sit, quam imitatio Cretenium. Huius insulæ incolæ
 non admodum bene audiunt apud scriptores, quoniam
 magnis vitiis & pessimis moribus eluxerunt. Notum enim
 est, quod adeo mendaciis dediti fuerint, vt, si mendax qui-
 dam enormis describi debuerit, illum Cretem nominaue-
 rint, quod non profanarum solum, sed etiam sacrarum hi-
 storiarum monimenta aperte testantur. D. apostolus Epi-
 menidis, c) vetustissimi poetæ e Creta oriundi, de ciuibus
 suis propriam adducit confessionem, quod κεντες sint *ἄειδες*,
ψεύσαι, *νανὰ θυγίας*, *γειτέρες ἀργυρά*. d) Vnde porro diuinus
 autor Titum suum de Cretenium moribus eorumque va-
 nitate certiore faciens eum admonet, vt grauiter eos re-
 prehendat, ὅτι ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστε μὴ προστέχοντες ἡδαῖοῖς μύ-
 θοῖς καὶ ἐντολαῖς αὐθεάπων ἀποστεφομένων τὴν αλήθειαν. Ho-
 mines erant diuersæ religionis: plurimi abominanda gen-

b) Hom. Iliad.
 L. II. in Odysea
 autem l. XIX.
 nominatur *ἐνε-
 μορτάτολος*,
 de qua diffe-
 rentia confer
 scholiasten
 græcum p. 50.

c) Tit. I. 12.
 vid. Hiero-
 nym. epist. ad
 Titum; Au-
 gust. contra
 aduerf. legis;
 Chrysosto-
 muni ferm. 3.
 epist. ad Tit.
 Origen. L. III.
 contra Celsum,
 d) confer
 Piatum L. V.
 narr. hist. cod.
 CXC. p. 484.
 Spanhem. ad
 Callimachi
 hymnum in
 tilium Iouem p. 6.

tilium placita sequebantur; nonnulli Iudeorum traditionibus delectabantur, pauci denique Christi & eius discipulorum dogmata amplectebantur, quibus corrigendis penitusque confirmandis Titus a Paulo relictus egregiam operam nauabat. In tanta religionum diuersitate non poterant non lites subinde grauissimæque controuerſiæ, tumultus & seditiones oriri, quas tamen, si hostis illos externus inuadere belloque laceſſere tentaret statim tollebant, omnesque, ſiue fuerint Iudaei, ſiue Christiani coniunctis viribus contra eundem acriter pugnabant, Cretenſiumque libertatem rubeantur. Hanc coniunctionem

e) T. II. Opp. περὶ φιλαδέλφ. p. 49^o. adde Erafimi Adag. p. 45^o edit. Francof. adpellabant ΣΥΓΚΡΗΤΙΣΜΟΝ, vti PLVTARCH HVSe) autor est: Ἐτι τοίνυ ἐκένο δέ μημονευεν ἐν ταῖς πρὸς τὰς αἰδελφὰς διαφοραῖς καὶ φυλάττεν, τὸ τοῖς φίλοις αὐτῶν ὅμιλον καὶ πλησιάζεν τότε μάλιστα. Φεύγεν δὲ τὰς ἔχθρας καὶ μὴ προσδέχεσθαι, μηδέμενον αὐτὸ γέν τῷ τῶν Κορητῶν, εἰ πολλάνις σασιάζοντες αλλήλοις καὶ πολεμέντες, ἔχωθεν ἐπιοντων πολεμίων, διελύντο καὶ συνστρέψαντες, ὃ καλέμεν @ υπ' αὐτῶν ΣΥΓΚΡΗΤΙΣΜΟΣ.

Recentiori tempore vocabulum syncretismi, quod primum

de

de rebus militaribus accipiebatur, ad alias res atque docto-
rum virorum, aliorum sententias inter se conciliare allabo-
rantium studia transferri coeptum est, prout supra dimidi-
um, & quod excurrit, seculi vox ista in theologiam in-
troductiona multas turbas excitauit. Multi enim erant ex
partibus Lutheranorum, Caluinianorum & Pontificiorum,
qui vnionem religionum omnibus votis expetebant, easque
in vnum corpus redigi posse, facillimo sibi negotio persua-
debant, quod negabant multi, multi adfirmabant, quos
deinceps perpetuo *syncretistas* adpellitabant. Primus in-
ter istos fuit DAVID PAREVS, theologus Heidelbergen-
sis, qui consilia religiones istas conciliandi dedit, f) quam ob f) In Irenico.
caussam primum quoque hac voce in rebus theologicis
vsum fuisse, nonnulli arbitrantur, quamuis RANGO g) fa-
teatur, Pareo præiuisse exemplum SAVLVM WINDE-
CKIVM h) ita scribentem: si sapienter catholici, & ipfis b) in Progno-
cara esset reipublicæ christiane salus, syncretismum cole-
rent. Maxime familiaris extitit vox *syncretismi* theolo-
gis, qua de re adhue legi possunt, qui historiam fyncre-

g) in historia
syncretismi a
mundo condito
to c. I.

b) in Progno-
stico p. 412.

- i) in hist. syncretismi litteris tradiderunt, CALOVIVS, i) STRAVCHIVS,
 k) in confensu repetito fidei vere Lutheranae in LXXXVIII. punctis.
 l) in mysterio syncretismi proœm. p. 5.
 m) in auctor. differt. aliquot select. diff. XIII. th. 3.
 n) in prænot. theor. p. 280.
 o) in heresiol. P. II. L. XVII.
 c. II.
 p) in propyl. hist. eccl. christ. p. 240.
 q) in system. histor. literar. p. 153.
 r) in Hierolexico P. II. p. 1587.
 s) in reliquiis incendi Berghenis ultimis p. 31.
 t) de lenitate Philippi Melancht. §. 8.
 u) in hist. philol. L. VI. c. 13. p. 323.
 x) in orat. de syncretismo Peripatetico n. XVI. que coniunctim prodierunt p. 323.
- tismi litteris tradiderunt, CALOVIVS, i) STRAVCHIVS,
 k) DANNHAVERVS, l) ZENTGRAVIVS, m) LOESCHERVS, n) ARNOLDVS: o) adde SLVTERVM, p) ARNDIVM, q) & RECHENBERGIVM: r) LINTRVPII s) autem promissa historia syncretismi nondum edita est, nec BEBELII historiam syncretisticam, quam MAYERVS, t) manu exaratam possedit, prodiisse memini. Verum & in philosophia huius vocis usum non heri aut nudius tertius receptum fuisse, facile demonstrari potest. Habet namque viros magna fama, qui ista voce hac ratione vni sunt, GEORG. HORNIVM u) quippe, IAC. THOMASIVM, x) BVDDEVUM. y) Quibus de causis autoritate munitus istam quoque vocem, quum ex historia philosophica conciliaciones philosophicas illustraturus fuero, ad usum transluli meum. Confirmata vocis syncretismi autoritate, paucis adhuc de significationibus istius differam. Ex usu, qui idearum verbalium fundamentum est, constat
- Hall. T. III. obs. 12. p. 218. & hist. philol. c. VI. §. 45. y) Observ.

constat, duas in primis ideas hac voce comprehendendi, quarum altera est idea conciliationis, altera idea tolerantiae diuersarum de re quadam sententiarum. Conciliatio complectitur iterum ideam diuersarum sententiarum, & ideam fundamenti, quo sententiae, quæ diuersæ videntur, conciliantur ita, ut ostendatur, specie seu verbis, non re ipsa differre hanc & illam opinionem. Ipsa conciliatio postulat duplex obiectum: alterum est, a quo incipit, alterum, in quo desinit conciliatio, seu terminum a quo, & terminum ad quem, uti metaphysici loquuntur. Mihi in animo est, de hoc syncretissimi genere, conciliatione quippe differre, ea mihi constituta lege, ut ex historiarum monimentis primum ostendam, quomodo dissentientes philosophos inter se conciliare, deinde vero placita philosophorum cum oraculis diuinis conferre allaborauerint, quippe quæ omnia breuissimis exponam.

§. III.

Auspicium fiat a secta Platonica & Aristotelica, quae omnino primum meretur locum. Plato magnum a se de-

dit nomen, quo & præceptore vſus est Aristoteles, quamuis ab eo discesserit, nouamque Athenis condiderit scho-

*z) hift. philof.
p. 410. edit. lat.*

*aa) biblioth.
Græca L. III.*

c. 6.

lam, prout apud STANLEIVM, *z) atque FABRICIVM*
aa) videre est. Horum, Platonis & Aristotelis, doctrinae
quum different inter ſe, & vetustiori & recentiori *atate*
fuerunt, qui iſtas conciliare atque in concordiam redigere
maximopere annisi ſunt. Ex antiquiori tempore refert
bb) dict. orat. *huc THOMASIVS, bb) ANTIOCHVM ASCALONI-*

*cc) teſte CI-
CER. in Brut.
& lib. I. de na-
tura Deorum,
PLVTAR-
CHO in vita
Cicer. p. 862.
dd) lib. V. n. 3.
de fin. bon. &
mal. p. 1130.
edit. Gronouii.*

ee) voc. Πορφ. *RIVS autore SVIDA, ee) ſeptem libros ſcripſit περὶ τῆς μιᾶς
ἔνοιας τὴν Πλάτωνος καὶ Αριστοτέλεος αἵρετων, quod Platonis & Ari-*

*ff) in vita Por-
phyrii c. 8.* *ſtotelis ſecta una eademque ſit, de quo HOLSTENIVS ff)
conferri potest. AMMONIVS Alexandrinus, cognomen-
to *Saccas*, æqualis Origenis ſcripſit vitam Aristotelis, qua
Platonica & Aristolica decretā in concordiam adduxit,*

teſte

teste HIEROCLE apud PHOTIVM ^{gg)} ἐτρογός (Αιμάτιον) Cod.CCLI,
p. 1382. edit.
 Andr. Schotti.
 πρώτη ἐνθεσιάς πρὸς τὸ τῆς φιλοσοφίας ἀληθινὸν, καὶ
 τὰς τῶν πολλῶν δόξας ὑπερβούν, τὰς πλέον ὄντας φιλοσοφίας προ-
 σεβομένας, εἴδε κακῶς τὰ ἐκατέρας, καὶ συντρέγεν εἰς ἔνα, καὶ τὸν
 οὐτὸν νῦν καὶ ἀστιστὸν τὴν φιλοσοφίαν παρέδωκε πᾶσι τοῖς αὐτοῖς
 γνωσίμοις, μάλιστα δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν οὐτῷ συγγεγοντων Πλατίνῳ
 καὶ Σωκράτεις καὶ τοῖς ἔχοις ἀπὸ τέτων. adde IONSIVM ^{hh)} de script.
 hist. phil. lib.
 III. c. 3. §. 3.
 & FABRICIVM. ii) HIEROCLES libros composuit de
 fato & prouidentia, quorum PHOTIVS ^{kk)} septem fuisse
 indicat, quibus omnes, quotquot Platonem & Aristotelem
 inter se dissentire existimant, falsos omnino esse, & neutrius
 mentem adsecutos, adfirmat, confer MOLLERVM: ll) ll) homony-
 mof. p. 312.
 de eius conatu autem ita refert iam citatus PHOTIVS: mm) mm) loc. alleg.

Συνάπτειν γάρ βέλεται τὰς ἀνδράς (Πλάτωνα καὶ Ἀριστοτέλην) τὰς
 δόξας & καὶ τὰς λόγιες τῆς περίοντος μόνον, αἷλλα δὲ δοτοι τὴν ψυχὴν
 Φρονθσιν αὐθαύνατον, καὶ εἴ τι περὶ θραντὸς καὶ κόσμου τέτοις πεφιλο-
 σόφητοι. Idem tentauit PROCLVS Lycius, qui non solum
 de consensu Orphei, Pythagorae & Platonis scripsit, quam-
 uis librum hunc præceptor i ipsius Syriano SVIDAS ⁿⁿ⁾ nn) in voce
 Συρ.

attribuat, sed etiam Aristotelem cum Platone in gratiana
reducere allaborauit, exemplum SYRIANI aliorumque fe-
cetus, quod & SIMPLICIVM fecisse constat, de quo VOS-

oo) de sectis
philos. c. XII.

§. 6.

pp) lib. I. Acad.

quest. n. 4.

conf. L. V. de

finib. n. 12. &

16. L. III. de

officiis.

SIVS. oo) Ex veteribus Latinis plerumque huc refertur

CICERO, apud quem VARRO pp) de Peripateticis: *nihil*

inter Peripateticos & illam veterem Academiam differebat,

Academici & Peripatetici rebus congruentes, nominibus diffe-

reabant, cuiusmodi consensus inter alias veterum philoso-

phorum sectas variis apud CICERONEM probatur:
Antiocho Stoici cum Peripateticis re concinnare videntur, ver-

qq) lib. I. n. 7. bis discrepare: qq) Carneades solitus defendere, non esse re-
de natur. Deor.

rum Stoicis cum Peripateticis controuersiam, sed nominum,

rr) lib. III. de verba sunt Catonis apud CICERONEM, rr) qui ipse Stoic.
fin. §. 32.

ss) lib. I. Acad. corum & Academicorum consensum tradit: ss) breuiter
quest. §. 24.

fane minimeque obscure exposita est a te, Varro, & veteris Aca-
demiæ ratio & Stoicorum: Verum autem esse arbitror, ut
Antiocho nostro familiari placebat, correctionem veteris Aca-
demiæ potius, quam antiquam nouam disciplinam putandam.

De eadem re, concordia Platonis & Aristotelis, promisit

commen-

commentarium BOETHIVS, *it*) sed qui haud elaboratus ^{*tt) lib. II. de Interpr.*} videtur, saltem lucem publicam minus adspexit. Similis conatus BERNARDI CARNOTENSIS meminit SA-RISBERIENSIS : *uu)* egerunt operosius Bernardus Carno- ^{*uu) lib. II. c. 17. Metalogic.*} tensis & eius sectatores, ut componerent inter Aristotelem & Platonem: sed eos tarde venisse arbitror, ut reconciliarent mortuos, qui quamdiu in vita licuit, dissenserunt.

§. IV.

Recentiori ætate sæpius de autoritate Platonis & Aristotelis in vtramque partem disputatum fuit. Circa tempora captæ Constantinopoleos bellum inter philosophos in Italia excitabatur, quum alii Stagiritam, alii Platonem ducem sibi ac magistrum eligerent. Vterque suos habuit sectatores, quemadmodum MICHAEL APOSTOLIVS *de Aristotelis & Platonis discrepantia* scribebat, & GEOR-GIVS GEMISTIVS fortasse ob nimium Platonis amorem PLETHO, siue PLETHON cognominatus, græca lingua scripsit librum de *iis*, *in quibus Aristoteles cum Platone non conuenit, & quod potior sit Platonis sententia*, contra quem

causam

causam Aristotelis agebat GEORGIVS SCHOLARIVS, & controuersia hæc deinde maxima vehementia inter GEORGIVM TRAPEZVNTIVM & BESSARIONEM conti-

xx) ad Ionsium de script. hist. phil. lib. III. c. 21. §. 10. seq.

nuabatur, confer DORNIVM. *xx)* Verum nec recentiori tempore defuerunt, qui philosophos hos conciliare operam

p. 117. dederunt. IO. PICVS Mirandulæ Comes in eo fuit, vt Aristotelem cum Platone conciliaret, vti studii huius IO. FRANCISCVS PICVS, eius ex fratre nepos, quiue vitam illius

yy) oper. vtri- usque Baf. 1601. præmiss.

dedit, *yy)* facit mentionem, ita de libro, quem IO. PICVS

de ente & uno scripsit, differens: *quo superius ente non esse unum; sed sibi inuicem respondere, & qualique esse ambitu ostendit, controuersiamque super eare a Platonis Aristotelisque se- datoribus habitam recensuit, afférens academicos illos, qui con- trarium contenderant, verum Platonis dogma non assécuratos, sensumque prorsus communem inter Aristotelem & Platonem de uno & ente, sicut & de re reliquis in vniuersum, & si verba*

zz) Budd. in- trod. ad hist. phil. Ebr. p. 185.

differerent, demonstratus erat non defuisse. zz) Num sin- gillatim autem de conciliatione inter Platonem & Aristotelem sit commentatus, id certo haud definiri posse vide-

tur

tur, quum MARSILIVS FICINVS adfirmet, huiusmodi libri ab ipso exaratos quidem fuisse, sed ob male scriptas litteras, quas nemo veldiuinando adsequi potuisset, lucem haud vidisse: in qua sententia etiam versatur FRANCISCVS PATRICIVS, *a)* qui ait: *utinam Pici commentaria in ea ipsa & oracula (Zoroastris) haberemus! Pessum ierunt cum concordia ab eo scripta Aristotelis cum Platone.* BENIVS *b)* comment. in Tim. Plat. vero testatur, huiusmodi conciliationem promissam quidem ab eo, sed scriptam nullo modo. Id constat, in conclusionibus de abstrusissimis & subtilissimis rebus inter alia hæc posuisse IO. PICVM: *nullum esse quæsum naturale aut diuinum, in quo Aristoteles & Plato sensu & re non convernant, licet verbis dissentiant,* adde HORNIVM. *c)* Mirandula Comitem excipiat PAVLVS SCALICHIVS, quem Picum æmulatum magnificis verbis idem pollicitum dicit BENIVS, *d)* licet promissis non steterit. Eundem laborem *d)* d. l. p. 4. multi alii suscepereunt, SYMPHORIANVS CHAMPIERVS, siue CHAMPIERVS Lugdunensis medicus & principis Lotharingorum archiater, in *symphonía Platonis cum*

C

Aristo-

c) hist. philos.
lib. VI. c. 8.

p. 312.

Aristotele, & Galeni cum Hippocrate; GABRIEL BVRA-
TELLVS in *conciliatione præcipuarum controuersiarum Ari-*
stotelis & Platonis; SEB. FOXIVS, Hispalensis de *consensu*
Platonis & Aristotelis in eaphilosophie parte, quæ de natura
est, libris quinque; IACOB. MAZONIVS *præludior. ad com-*
parisonem Aristotelis & Platonis libris duobus, vt de
FRANCISCO DIACETIO, PETRO MASSOLO, FRANC.
VICOMERCATO, FELIC. ACCOROMBONO & multis

e) dñi. orat.
de syncret.
Perip.
f) de philos.
conciliatrice
§. 10. ieqq.
g) polyhist.
phil. 2. 12. 2.
h) obseru.
Halt. tom. III.
obs. 14. §. 4.
i) bibl. Graeca
lib. III. c. I.
p. 37.
k) dict. loc.
p. 267.

I) discuss. Pe-
rip. tom. III.
lib. I. p. 291.

Nonnulli hisce conciliatoribus etiam ad-
dunt FRANC. PATRICIVM, quum in *discussionum Peri-*
*paticarum tomo secundo Aristotelis & veterum Philo-
phorum, præsertim Platonis concordiam se demonstratu-*
rum, in ipso libri titulo pollicetur. Verum BVDDEVIS k)
monet, locum inter conciliatores non mereri Patricium,
quoniam non in omnibus, sed in quibusdam saltem cum
Platone atque veteribus consentire Aristotelem ostendat.
Hinc ipse PATRICIVS: I) sum enim in hac sententia, hosc viros

vel

vel non potuisse promissis flare, vel Aristotelem aliud cogitasse, aliud scriptisse, aut me nunquam quicquam villa in re intellexisse. Potuisse quidem illas & summa ingenii vi & summa doctrina, quibus excelluerunt, eandem hanc, quam nos hac ingenii exilitate ac cruditate, longe melius, uberiorius, clariorius, ornatius concordiam praestare; sed nullam discordiam inter eos duos philosophos maximos fuisse, nulla in re Aristotelem a Platone dissentire voluisse, id vero eos praestare non potuisse, arbitror. Quibus enim argumentis aut collationibus id effici posse credam, si videam, Aristotelem non tam dogmata sua explicare, quam philosophorum veterum omnium dogmata profligare inproposito habuisse? Quisque, qui Aristotelis & Platonis doctrinas cognitas habet, ac rationem affectuum corruptorum, quibus mortales indulgent, nec satis acuto valent iudicio, sibi reddidit perspectam, facile sibi persuadet, multas harum conciliacionum friuolas esse, nec ullius dignitatis, quod vnius exempli autoritate ex dicto FOXIO m) depromti declarabo.^{m) lib. I. c. 3.}
^{p. 19.} Nam frigida est illa natura Aristotelica comparatio cum anima mundi Platonica, & risu digna sunt verba, quum de

principiis agens scribat: *Itaque ambo, Aristoteles nimirum & Plato, si numerum principiorum species, idem plane sentiunt, si singula per se consideres, differunt.*

§. V.

Pergamus ad *Stoicos*, quo loco memorandus est iam dictus ANTIOCHVS ASCALONITA, cognomine *Cygnus*, quippe qui singulari libro disputauerat, *Stoicos cum Peripatetis reconcinnere, verbis discrepare*, ut supra obseruauimus. *Hoc impugnat CICERO*, ⁿ⁾ qui sub persona Balbi dicit: *miror, Antiochum, hominem in primis acutum, non vidisse, intereste plurimum inter Stoicos, qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto disiungerent: Et Peripateticos, qui honesta commiserent commodis, ut ea inter se magnitudine, Et quasi gradibus, non genere differrent, haec enim non est verborum parua, sed rerum permagna dissensio.* Piso apud eundem: ^{o)} *Stoici ex Peripateticis & Academicis omnia quum translusissent, nominibus alis easdem res fecuti sunt. conf.* HORNIVM. ^{p)} *Verum est, plerasque Stoicorum disputationes in meras λογομαχias abiisse, quod etiam obseruavit*

ⁿ⁾ de N. D. lib. I. 7.
^{o)} de fin. lib. V. 8.
^{p)} hist. phil. lib. VI. c. 13. p. 323.

WEREN-

WERENFELSIUS. q) Quibus de caussis non est difficile, q) de logomachis erudit. cap. II, §. 6. p. 28. seq.

eos in multis rebus cum aliis philosophis, in primis Peripateticis conciliare. Exemplo sit doctrina de affectibus. Stoici defendebant *άναγκαιον*, reliqui vero Philosophi, Platonici, præcipue Peripatetici censebant, moderandos temperandosque affectus esse. Sed Stoici quum affectus in secundo & tertio gradu constituerent, eosque ideo affirmarent esse voluntarios, recte docuerunt, omnes affectus esse malos, adeoque extirpandos. Contra Peripateticis sermo fuit de primo gradu, quem in affectibus consti- tuebant, quam ob caussam contendebant, esse eos naturales & indiferentes. vid. BVDDEVM. r) Quod denique ad Epicuræos attinet, notandus est BERN. a MALLIN- CROT, qui in *discursu*, vti vocat, de *summo hominis bono*, Epicuræos cum Stoicis conciliare sibi sumfit, in cuius principio professus: *principuam sibi curam fore, ut Stoicos & Epicuræos, qui vel maxime omnium dissidere putentur, conciliaret,* vt iam THOMASIVS s) & BVDDEVS t) adnotarunt. Caussa, qua eum ad librum hunc conficiendum impulit,

r) Instit. th. mor. P. I. c. 1. sect. 6. §. 31. p. 201. anal. et hist. phil. p. 189. seq. add. summe reuerendi atque excell. L.

CRELLII
τὰ τοῦ Επικύρου
διάγονον καὶ
τετραφαί circa of-
ficia hominis
erga τέ quoad
animum exco-
lenda c II §. 11.
pag. 35.

SCHWARZII
pref. ad Læl.
Peregr. de no-
scend. anim.
affect.
s) de syncr.
Perip. p. 329.
t) obseru. Hall.
tom. III. obf.

eam fuisse, relatum legimus, quod eo tempore in summo
luctu & squalore ob prælatum sibi in episcopatu Mona-
sterensi Christ. Bernardum de Galen versaretur, vide FA-

u) præfat. sup- BRICIVM. u)
plem, ad Voss.
de histor. græc.
& lat.

Ordo nos iubet, quædam de philosophis, qui schola-
stici vocantur, adnotare, quorum tres atates solent consti-
tui, quarum prima incipit a LANFRANCO, vel ut alii vo-
lunt, a PETRO LOMBARDO, secunda ab ALBERTO
M. & tertia a DVRANDO. Exitent certamina inter Tho-
mistas & Scotistas, seu TH. de AQVINO, & DVNS SCOTI
seculatores, & inter nominales, qui abstractorum & vniuersa-
lium realitatem prorsus tollebant, & reales, qui contrarias
tuebantur partes, prout pluribus conserri possunt, qui
scholasticorum horum historiam confignarunt, vid. LVD.
VIVEM, x) ALSTEDIVM, y) POSSEVINVM, z) HOR-
NIVM, a) THOMASIVM, b) BAILLETVM, c) TRIBBE-
CHOVIVM, d) MORHOFIVM, e) aliosque. Quæ cer-
tamina nonnullis occasionem conciliationes instituendi

præbuerunt, quod duobus exemplis illustrabo. Nam IOANNES de RADA Arragonius, Episcopus & in Salmanticensi academia professor egit arbitrum inter Thomam & Scotum, quod & fecit IOANNES LALEMANDET cum Thomistis & Scotistis, item cum realibus & nominalibus, eius extant *decisiones philosophicae*, quarum tres sunt partes, prima de *logica*, secunda de *physica*, tertia de *metaphysica*.

§. VII.

Nos conuertimus ad recentiores sectarum philosophicarum conditores, ex quibus PETRVS RAMVS notari debet, qui correctionem philosophiarum Peripateticarum in animaduersionibus in organon Aristotelis, seu scholis dialecticis, & in ipsa dialectica instituit, quo opere & suos censores eosque grauissimos, & fautores, & conciliatores natus est, quod ex illis clarius patet, qui de vita ipsius eiusdemque satis exposuerunt, NANCELIO,^{f)} BAELIO,^{g)} LAVNOIO,^{h)} MORHOPIO.ⁱ⁾ Pacis & concordia studiosi fuerunt, qui ARISTOTELEM, aut

^{f)} in vita Ramii,

^{g)} in dict. crit. & hist. tom.

III. p. 621.

^{h)} de fortuna

Aristot. c. XIII, & XIV.

ⁱ⁾ Polyh. phil.

1. 12. 1.

PHIL.



PHIL. MELANCHTHONEM, qui a partibus Stagiritæ erat, cuiusque discipuli per Aristotelem sui quoque magistri latus peti credebant, cum RAMO conciliare magno studio allaborarunt. Cuiusmodi labori in primis sese addixit BARTHOL. KEKERMANNVS, qui et si *solam* *seam* Peripateticam Deum hac gloria & honore dignari voluisse, putauit, ut, quæ Plato & alii confuse, sine methodo & ordine, semiplena, imperficta, per flosculos metaphorarum & fabularum inuolucra tradidissent, ea Aristoteles, naturæ miraculum & auctor Peripateticæ familiæ primus, humano generi traderet, sub forma methodi dextræ, regulatæ & quoad partes omnes plenæ, id est, ut cum logicæ, tum philosophiae reliquæ ordinata, methodica, acroamatica, atque ad intellectus humani usum informata systemata diuino artificio conformaret: k) multa tamen in Peripatetica logica emendanda & castiganda obseruavit, & doctrinas Ramas cum Aristotelicis coniunxit, quibus de cauissimis a Peripateticis sub titulo *semi-Ramæi* passim fuit notatus, confer SYRBIVM. l) Præter hunc copiam huiuscmodi harmonicorum scriptorum re-

censere

k) præcogn.
logic. Tr. II,
c. 2. §. 15.

l) hist. log. p.
32. prem. in-
flit. phil. ta-
tion.

censere possem, atque hoc referre PAVLI FRISII *comparationes dialecticas*, BILSTENII *Syntagma Philosopho-Ramæum lib. Art. BVSCHERI harmoniam logicæ Philosopho-Ramææ: DECKERI logicam Philosopho-Ramæam*, POLANI *Syntagma logicum Aristotelico-Ramæum*, LIBAVII *collationem dialectices Melanchthonis & Rami*, & plures alios, ad LIPENIVM. m) Sed quo fine istos colligerem, quorum ^{m)} bibl. phil. _{lof. p. 1126.}

numerum forma nostræ dissertationis haud caperet? ad-hac ex dictis iam constat, & in hac secta tentata fuisse conciliationem, de cuius dignitate non omnes vna sententia iudicant. Qui Aristoteli fauent & deuota addicti sunt pietate, non adeo de Ramo honorifice sentiunt, nec pacis inter hosce philosophos constituendæ studia probant. IOANNES BAYERVS n) de philosophia Ramæa ita iudicat: *haec ipsa n) in filo Labyrinthi præfat, Iag. phænom. IX. §. 2.*

Ramæorum a Peripateticis seu totalis, seu partialis auulso & scissio magni momenti non est. Quod enim corrigere & persicere voluerint, quæ vel male, vel insufficienter tradita ab Aristotele sunt, id bonum sane fuit propositum. At quomodo id egerunt? rerum conceptus ab ipso acceperunt mutuo, & alias

D

notiun-

notiunculas ipsis imposuerunt, alioque ordine per traclarunt, & fusi sermocinari docuerunt: quoad cetera tantum ab Aristotele discrepantes, quantum ab ovo ouum, aut a pisso pisum: aliqua etiam magis atque ipse deprauarunt. confer VOS-

o) de natura & SIV M. o)

constit. logic.

c. XII §. 7.

§. VIII.

Omnino grauioris sunt momenti controuerſia, quæ inter RENATVM CARTESIVM & Aristotelicos motæ fuerunt: quamuis heic conciliatio videbatur difficilior, non desuerunt tamen, qui opus hoc adgressi sunt. IO. de RAEVS edidit *introductionem Aristotelico-Cartesianam ad naturæ contemplationem*, qui quum ad philosophiam Aristotelicam in Academia Lugdunensi Batauorum tradendam vocaretur, & ipse philosophia Cartesii esset imbutus, p) in epist. ad Clauberg. nec, quæ eius verba sunt, p) aliud sibi superesse videret, quam ut ad tempus scenæ inseruiret, hanc superiores fallendi viam inuenit, & quasi non tam euertere, quam erigere, & si qua ratione fieri possit, sanare conaretur Aristotelem, eundem inuitum cartesianizare coëgit: confer LEIBNITIVM. q) Idem

q) pref. ad
Niz. de vera
rat. philosoph.

conci-

conciliandi negotium tractauit IO. CHRISTOPH.
STVRMIVS in *physica conciliatrice*, quamuis iam grauis-
simi viri obseruarint, ibi rem non serio egisse, nec ex ani-
mi sententia consensum inter Cartesium & Aristotelem
voluisse demonstrare. Ipse in præfatione libri huius ita
dicit: *alio nos prorsus animo in utroque esse, tum alia nostra,*
tum præsens opella, spero abunde comprobabunt, in quibus ve-
terum plurima vel approbamus omnino, vel excusamus, & ve-
rum recentius detectum ipsis si non perspexisse penitus, ab eo
salem non adeo longe absuisse, docemus; una tamen moderno-
rum ingeniorum inuenta & cogitata iusto æstimamus pretio,
nihil eorum eo nomine vspiam aspernati, quod vel antiquitatis
decretis, vel æstimationum hodie philosophorum placitis non
consentiret; sed id, uno verbo, omni conatu studioque agentes,
ut in gratiam si fieri possit, & quoad eius fieri possit, uniuersi
reducantur: id quod non solum ciuitatis esse & humanitatis,
sed scientiarum augmentis immane quantum prodeesse posse,
firmiter persuasi sumus. Huic addimus IO. HENR. SVI-
CERVM in compendio *physice Aristotelico-Cartesianæ me-*

thodo erotematica, quamuis non adeo feliciori successu
 hoc opere functus sit, quod licet videre ex prima philo-
 sophia definitione, *quæ sit habitus mentis humanae ex ideis*
insitis & principiis per se notis studio & usu comparatus. Sæ-
 pe Aristotelis sententias pervertit, & quis ex sectatoribus
 eius concedet, ontosophiam pertinere ad propædiam?
 Cartesii vero dogmatibus quædam addit, quædam de illis
 demit, quæ tractandi ratio non est conciliatio, sed compi-
 latio, quæ non veritatis, sed autoritatis Aristotelis tuendæ
 causa instituebatur. Necesse erat, inferuire temporibus,
 quoniam *sub iugo Aristotelicæ philosophiae orbis eruditus tum*
ad huc gemebat, piaculumque erat, afferere quicquam, quod
non ante afferuissest Aristotleles; *Cartesianum autem se profi-*
teri, summum erat crimen, lepida ergo fabula decipiendi erant
iniquissimi homines, in eamque adducendi opinionem, nihil af-
seri a Cartesio, quod non Aristotleles suo calculo iam pridem com-

*r) obf. Hall.
d. l. p. 274.*

probasset, vt BVDDEV斯 r) dicit.

§. IX.

Num hisce syncretistis IO. BAPTIST. du HAME-

LIVS

LIVS addi debeat, dubitari adhuc potest. Scriptit quidem
de consensu veteris & nouae philosophiae, quod opus in duos li-
bros, quum primum editum est, fuit distributum, deinde
vero in quatuor diuisum libros prodiit in publicum, in
quibus philosophiaæ Platonicæ, Aristotelicæ, Epicuricæ &
Cartesianæ principia pertractat. Sed de ratione, qua ope-
ram hanc persecutus fuit, ipse in præfatione ita differit:
*nam id mihi propositum est, omnium pene philosophorum discipli-
nas lustrare, atque ex iis, quod veri simillimum erit, quasi
nostrum arripere; extremas opiniones ad iustum tempera-
mentum adducere; eas demum, quæ non tam inter se diffident,
quam primo adspectu videntur, ut fieri maxime poterit, con-
ciliare.* Præter quam enim magis absolute erit philosophiae
naturalis tractatio, si uniuscuiusque sectæ forma, non leuiter
adumbrata, aut potius, ut fieri solet, contradicendi libidine de-
formata, sed omnibus suis expressa lineamentis exhibetur: id
sane cuius non habebit, Platonem, Aristotelem, atque
alios Philosophiae principes neque omnia, neque nihil vidisse.
Eodem omnes tendunt, quamvis diuersas muniant vias; ac de-

mum alii in aliis rebus tractandis excellunt. Ex his & aliis,
quæ addidit; facile quis colligere posset, virum hunc agno-
uisse, eos perdere operam oleumque, qui philosophos re
ipsa dissentientes conciliare sibi sumant, & viam potius
philosophiaæ eclecticæ fuisse fecutum. Verum, qui accura-
tius ipsius opus perlustrat, deprehendet, interdum studio
conciliandi fuisse abreptum, nec ad eas regulas, quas præ-
scriperat ipse, se accommodasse.

§. X.

Iamque progreendiendum erat ad alteram quoque
speciem syncretismi philosophici, qua philosophorum
doctrinæ cum oraculis diuinis conciliataæ fuerunt: sed pe-
nuria spatii impedit, quo minus propositum exsequi
queam. Quam ob caussam hoc argumentum destinai di-
sputationi secundæ, cui tertiam adhuc, Deo clementer ad-
iuante, adiungam, & in ista varias meditationes de caassis
& dignitate syncretisini philosophici cum beneuolo lecto-
re communicabo. Namque suscepitas adhuc conciliatio-
nes, quarum in præsens exempla adduxi, & posthæc addu-

cam

cam accuratius examinabo intuitu cum originis illarum,
quam affectus animi corrupti, nec raro iudicij inopia con-
stituunt, tum incommodi, quod exinde in veram philoso-
phiam eamque tractandi rationem redundauit. De ce-
tero propositæ dissertationis forma me semper ad-
monuit, quanto transcursu omnia
fuerint dicenda.

SOLI DEO GLORIA.

E R R A T A.

Pag. 5, lin. 17, lege recentiores: p. 6, lin. 3, dele exin: p. 12, lin. vii, *Aristo-*
telice: p. 13, lin. 6, leg. *ανγγεγούσιν*.


COROL-

COROLLARIA.

- I. *Autochiria etiam lumine naturæ illicita est.*
- II. *Dantur athei speculatui.*
- III. *Interdum superstitioni, interdum athei maius
damnum adferunt reipublicæ.*
- IV. *Dantur athei, qui etiam socialiter viuunt.*
- V. *Atheismi speculatui origo ut plurimum est
ambitio.*
- VI. *Philosophum & atheum esse, est contradicatio
in adiecto.*



COROL



01 A 6731

ULB Halle
004 122 828

3




5b



B.I.G.

Farbkarte #13



ERTATIO ACADEMICA
DE
C R E T I S M O
PHILOSOPHICO,
Q V A M
IO COELESTI ET SVPERIORVM
IN
IA ACADEMIA LIPSIENSI
P R A E S I D E
R I S T O P H . A L B R E C H T
E R C K I O
MEINVNGA - FRANCO
CIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
A. D. XXX. SEPT. cI^o I^occ XVII.
B E R T . I A C O B V S G R I M M I V S
KALTENWESTHEMIO - FRANCVS.

L I P S I A E
TYPIS IMMANVELIS TITII.